Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37071
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

2

Hinc quidem est regula sanctissimi patris benedicti, cuius consideracio maxime circa spiritualia versatur. Unde in 2° capitulo regule aptissime precipitur abbati, ne plus sollicitudinis gerat de transitoriis caducis atque terrenis quam de spiritualibus, sed semper cogitet quod animas regendas suscepit, de quibus racionem redditurus est. Mathei 6 scriptum est et luce 12: Primum querite regnum dei et iusticiam eius, et hec omnia adicientur vobis. Octavo commendabilis redditur regula beati benedicti a discrecione summa et prudencia que mater est omnium virtutum, mensurata sunt universa huius sancte regule constituta. Prudentissimus etiam ac devotissimus pater ipse benedictus in capitulo lxiiii° sue regule abbati precipit, ut ita omnia discrecionis lima temperet, ut opus quod imperat tale sit, quod fortes id capiant, et infirmi non refugiant. Cuius discrecionem beatus gregorius in dialogo suo commendans ait: Scripsit autem beatus benedictus regulam discrecione precipuam, sermone luculentam. Cuius regule amplitudine utilitatis et excellencia sanctitatis ac perfectionis pensata, audacter dicere valemus: Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos ad galatas 6to. Et illud: Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum psalmo 118.

Capitulum 2m In quo ponitur prologus regule quomodo audienda sit sanctorum patrum doctrina

a Ausculta o fili precepta magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonicionem pii patris libenter excipe, et efficaciter comple, ut ad eum per obediencie laborem redeas, a quo per inobediencie desidiam recesseras etc. Premittit regule sue sanctus pater benedictus hunc prologum, tamquam clavem totius operis, in quo hortatur discipulum ad attentissime audiendum doctrinam suam. Est enim auditus potissima via ad disciplinam spiritualem, licet enim tam visus quam auditus sint disciplinabiles, auditus tamen ut dicit augustinus libro de doctrina christiana, pernecessarius nobis est ad discipulatum christi. Et beatus bernhardus in libello quodam de amore dei dicit: Inter omnes sensus auditus maxime evocat animam ad opus. Facit autem tria beatus benedictus in hoc prologo, primo quidem reddit discipulum benivolum, ibi Ausculta, 2° attentum ibi Succinctis ergo etc., 3° docilem, ibi Constituenda est ergo.

Benivolum quidem reddit ad audiendum ex tribus, primo ex parte sui et hoc est caritas benivolencie paternalis, 2° ex parte discipuli, quod est utilitas singularis, 3° ex parte dei quod est suavitas divine pietatis nos misericorditer invitantis. Primum tangitur in principio dum dicitur Ausculta o fili. Filius dicitur a philos quod est amor, eo quod sit amor parentum, quorum paternus affectus debet maxime benivolum filium reddere ad attente audiendum patris doctrinam. Hinc proverbiorum 4 et 6to dicit sapientissimus salomon: Conserva fili mi precepta patris tui, et ne dimittas legem matris tue. Et primi machabeorum 2° dicitur: Obedimus legi patrum nostrorum. Circa hanc partem aliqua notanda veniunt, primo quod filius dicitur quattuor modis, sicut beatus ysidorus docet, scilicet natura, adopcione, imitacione et doctrina. Filius autem hoc loco duobus ultimis modis accipitur videlicet imitacione et doctrina. 2° notandum quod prelatus debet esse pater subditorum multipliciter, primo generando eos spiritualiter verbo doctrine, secundum illud apostoli prime cor. 4°: Per evangelium vos genui. 2° fovendo lacte consolacionis, iuxta illud pauli prima ad tess. 2°: facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. 3° erudiendo illos iuxta illud prime cor. 3°: Tamquam parvulis lac scilicet doctrine vobis dedi potum. 4to thesaurizando eis exempla multarum virtutum, proverbiorum 21: thesaurus desiderabilis. Glosa: Clarius bonorum opus deo amabile, et oleum, glosa pinguedo devocionis in habitaculo iusti. 5to providendo de necessariis iuxta illud apostoli 2e cor. 12: Ego libentissime impendam, glosa spiritualia et temporalia ad usus vestros, et superimpendar

generando